



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-348255-p0001-5

DFG

16. S. 16 num. 22.

1778, 3

17

IOANNIS DIETERICI MELLMANN D.

IVRIVM ANTECESSORIS ET ACADEMIAE KILONIENSIS

H. T.

PRORECTORIS

A D I T I A L I S O R A T I O

D E

DECISIONE CAVSARVM
EX LEGIBVS AEQVI
ATQVE BONI

A. D. IV. APRILIS c^o 1000 LXXVIII

I N

T E M P L O A C A D E M I C O

R E C I T A T A .

KILONIÆ ET HAMBVRGI APVD BOHNIVM.

LITTERIS MICH. FRIDER. BARTSCHII
ACAD. TYPOGR.



55 . . .

1601
eis der Hofkriegsrath und Generalissimus

1601

1601



REVERENDISSIMO
ATQVE
ILLVSTRISSIMO DOMINO
DOMINO
WOLFF A BLOME

DYNASTAE IN SALTZAV BAHRENFLEET

CET.

AVGVSTISSIMI AC POTENTISSIMI
REGIS DANIAE, NORWAGIAE,

CET.

MINISTRO STATVS INTIMO ET REGIO
CVBICVLARIO

ECCLESIAE CATHEDRALIS LVBECKENSIS
CANONICO, ORDINVM

SANCTI IOANNIS BAPTISTAE HIEROSOLY-
MITANI ET DANEBROGICI

EQVITI.

DOMINO MEO GRATIOSISSIMO.

VIRI ILLVSTRISSIMI ATQVE ILLVSTRES,
IN HIS
MAGNIFICE PROCANCELLARIE,
EXPRORECTOR ACADEMIAE MAGNIFICE,
VIRI DIVINAE HUMANAEQVE SAPIENTIAE
CONSULTISSIMI,
HOSPITES ET COMMILITONES GENEROSISSIMI,
NOBILISSIMI, HUMANISSIMI.

Si suauitatis sensu feso captos sentiunt homines, cum spe-
ctandis aliorum periculis felicitatis propriae admoneantur; si ideo suaue est procul audire belli tumultus, vel naues
maris tempestate laborantes secure e terra videre propterea sci-
licet, quod securitatis & quietis propriae conscientia ex alienis
malis magnum capit incrementum: iucundum sane pacis aman-
tibus, AVDITORES, sit, necesse est, reipublicae cuiuscunque
administrationem, in qua multa pugnantia, incerta, ambigua
sint, cominus, salua nobis pace, spectare; & mihi optabilis fuisset
dulcedinis huius experientia, dum ACADEMIAE HVIVS regi-

men pariter PATRVM suffragio ac legum dictamine in me de-
 volutum alii Ordinis Nostri membro relinquere mihi licuisset,
 quem maiorem vtilitatis publicae autorem & amabiliorem statu-
 rem agnoscere potuisset ACADEMIA KILONIENSIS. Sed cum
 fatis pariter ac legibus parentum, statim ex quo, vt vidistis, MAG-
 NIFICVS EXPRORECTOR multis ex nominibus mihi carus
 atque venerabilis, ^{a)} solemni inuestitura more maiorum peracta,
 tradidit fasces Academicos, omnem eo intendam curam, vt in
 publicis consiliis, in omni reipublicae gerendae parte recte &
 fideliter agam, & ea, quae fidei meae sint credita, decretis atque
 exemplo curem, probe nimirum intelligens, si quis sese Magi-
 stratum praebere velit, non legibus solutum, sed alligatum profi-
 teri oportere, nec suam potestatem sua libidine sed populi vi-
 litate & reipublicae formula metiri. ^{b)} Graue quidem illud
 munus est, quod summe Venerandus COLLEGA non minori
 cum laude, quam felici successu totiusque ACADEMIAE plausu
 hucusque gescit. Et ardua via est, scio & fateor, periculi &
 sollicitudinis plena, qua boni morum rectoris legumque antisti-
 titis laus petitur. Sed faciliorem huius itineris decursum efficie-
 tis, PATRES VENERANDI, quibuscum arcto muneri colle-
 gique vinculo coniungor, si vos nobis monitores & comites
 fideles praebueritis. Deinde imbecillitatem meam firmare, ani-
 mum erigere atque incitare potest omnium maxime iucundissi-
 ma illa cogitatio, iam nos non incidisse in querenda illa ciuita-
 tis tempora, quibus, vt olim in ROMANORVM ciuitate ante leges
 latae, omnes lites controuersiaeque ex iudicis arbitrio sive dicta-
 mine, seu, si magis placeat, ex paterno iudicis iudicio sane lu-
 brico

^{a)} Scilicet V. S. V. IOANNES CA-
 SPARS VELTRUSEN cuius euocati-
 onem in Academiam Helmstedien-
 sem amicitias causa valde doleo, Pro-
 rectoris dignitatem per hyemem ges-
 ferat, mihi que imposuerat.
^{b)} GERARDI NOOPT Oratio de
 iure summi imperii.

brico sunt dirimendae. ^{c)} In *CICERONIS de legibus* libris cunctis multa sunt, quae ad ciuitatis rationem intelligendam ornandamque pertineant, habeantque rerum publicarum rectoribus proprietam admonitionem, ^{d)} tum recte obseruatum est; nihil tam aptum esse ad ius conditionemque naturae, quam LEGEM & IMPERIVM, sine quo nec domus ulla, nec ciuitas, nec gens, nec hominum vniuersum genusflare, nec rerum natura omnis, nec ipse mundus potest. Nam & hic Deo paret, & huic obediunt maria terraeque, & hominum vita iussis supremae legis obtemperat. Neque nostra respublika litteraria vago atque incerto iudicis arbitrio regitur. Habemus regiminis Academici formulam IMPERATORIA & REGIA autoritate stabilitam, qua Magistratus & Ciues Academici sancte obstringuntur. Et in foro Academicoo observanda sunt iura Germanica vniuersalia peregrina aequae ac innata, & particularia, quae ob id ipsum a Regimine Regio Magistratui Academicoo subinde mittuntur notabili exemplo, processum Academicum neutquam esse, vt dicunt, tumultuarium, & iurisdictionem non in solius Prorectoris, vel eius amicorum manu esse positam. Insuper Sapientissimus REX, & ILLE, CVI curam Academiae demandauit, ad quem consilia & incepta nostra referre debemus, ad leges & iura, quibus omnis securitas & certa rerum possessio & commodorum incrementa nituntur, animos dudum conuerterunt, & disciplinae Academicae decretis salutaribus & exemplo sancientiae curam habuerunt. Attamen facile intelligitur, non omnia humanis legibus adeo exauriri posse, vt non plurima super sint, quae ex legibus aequitatis & honestatis naturalis sint decidenda

^{c)} ADRIANI STEGERI diff. de Legi Tribunicia & inde nato iure incerto ad L. 2. §. 3. D. de O. Iur. Lips. 1736. IOAN. GOTL. HEINECCIUS hi-

stor. iur. p. 15. IOAN. SAI. BRUNN-
QUELLII histor. iur. p. 34.
^{d)} Libr. III. Cap. 1. de LL.

denda, vel iudicis conscientiae relinquenda. Viderunt humanae legislationis insufficientiam iam veteres clari legum interpretes. Non possunt omnes, ait IULIANVS, articuli signatim aut legibus aut Senatus-Consultis comprehendi. e) Eadem ex ratione idem, alio loco f) docet: de quibus causis scriptis legibus non utimur, id custodiri oportere, quod moribus & consuetudine introductum est, & si qua in re hoc deficeret, tunc quod proximum & consequens ei est. Sed in aequitatis & honestatis via vel demonstranda, vel ingredienda facile a recto cursu aberrare vides etiam, qui virtutis nomen carum habent, prout vel a communia nationum vel suae naturae ingenio, morum, temperamenti, viuendi & sentiendi ratione afficiuntur. Proinde cum in suscipienda Magistratus prouincia nefasesse videatur, de alia re dicere, quam de iure ipso & de rebus ad iurisprudentiam pertinentibus, commode videtur disputare, pace VESTRA, AUDITORES, de DECISIONE CAVSARVM EX LEGIBVS AE-
QVI ET BONI. Qua meditatione, spero, me assecuturum, vt animos VESTROS non difficulter teneam, dum veram honestatis & aequitatis viam demonstrare conatus sim, quae & a Magistratu Academico in legibus tum ferendis, tum interpretandis, ac in causis legibus non definitis decidendis saepissime est calanda. Sed nihil aliud mihi hodie consequi licebit, quam quoddam de iis rebus iudicium, quibus iusti & aequi iudicis laus patetur, nec quicquam de meo praefidis seu Prorectoris officio, in hoc quidem genere possum polliceri, quam vt me regiae seu rectae viae ducem & comitem itineris non prorsus inutiliem offeram, PATRIBVS pariter ac Comilitonibus. Quae cum ita sint, AUDITORES, NOLITE expectare orationem, quae oratoris titulum tueatur, sed quae istam aequitatis & honestatis viam, cuius comitem me sum professus, clare demonstret, & ad eam ingrediendam, vos, potissimum, COMMILITONES OPTI-

e) L. 12. D. de LL.

f) L. 32. D. cod.

OPTIMI, & strenue persequendam amanter cohortetur. Quod Deus bene vertat: AUDITORES HYMANISSIMI, linguis atque animis fauete.

At dum aequitatis vsum perpendo, dum praeclara illius elogia, quibus bona fides in legibus & iure canonico nominatim nunc manna, nunc cibus, qui custodiebatur cum virga Aaronis in arca foederis, nunc oleum vulneri istius Samaritani infusum vocatur,^{g)} revolu^o; in mente miliu^m vénit antiquitatem Romanam optime, si quid videam, aequitatis laudes concelebrasse. Finxere Quirites aequitatis Deam Ioui assidentem. Item in numismatibus pluribus adumbratur aequitas simulacro virginis gracie, capillis religatis, dextra bilancem & sinistra perticam mensuriam, vel subinde copiae cornu tenentis.^{h)} Talia arma scilicet eo gerebat fine, vt istius commoda exhiberentur; siquidem spicæ ex bilance consurgentes vberrima aequitatis emolumenta designabant. Et recte tanta reverentia atque religione vtebantur veteres Romani in laudanda aequitate. Nam summam habet commendationem ab utilitat^e, quam singulis ciuibus non minus, quam publicae saluti praefstat. Quid igitur? annon aequitas, quae & bona fides in legibus appellatur, virtus est, quae communem utilitatem ac singulorum commoda atque hominum aequalitatem nullo adeo iure cogente respicit?ⁱ⁾ Namque de aequitatis praestantia verba facturus illud inprincipis, quod ad finem illius virtutis spectat generosum, silentio non involuam. Scilicet aequitatem, seu veram utilita-

B
tem,

g) Can. IX. dist. XV.

h) LVD. BEGERVS in thesauro Latino & numismat. p. 47. 314. 318. 336. 342. GEORG. LUDOV. BOEHMERI electa iur. ciuil. tom. I. Exercit.

X. §. I. p. 278. n. f. L. 29. §. 4. D. mandati, L. 57. D. de R. iur.

(i) KRESSII dist. de aequitate iuridica §. V. pag. 3. 4. CHRISTIANI THOMASII dist. de usu practico & aequitate legis L. XIX. D. de R.

tem, quae nempe non prima fronte boni specie sese commendat, a tergo autem habet malum aliquod maius coniunctum nunquam ab honestate & pietate esse secernendam. Sola bona, quae honesta, sola honesta, quae pia — Et **SOCRATEM** hoc vel maxime amo; quod illum execratus est, qui utilitatem ab honestate primus seiuinxet. Inde claret, quanta religione in aequitate & utilitate tam publica, quam priuata aestimanda versandum sit iis, quibus de iure respondere permisum est. Nam ut contra aequitatis siue utilitatis regulas impingant necesse est, qui vel disciplinarum & morum notitia, rerumpublicarum formula & iuris scientia non satis instructi vel hominum varias conditiones, factorum & delictorum naturam aut circumstantias haud meditantes vel bonae fidei & sani iudicii non amantes, seu cupiditatibus suis abrepti in **QVINTIVM**, ut **CICERO** ait, aequum putent, quod iniquum statuunt in **MEVIVM**.¹⁾ Etenim recte affirmat **ALPHENVS ICtus**, ius & ita similiter aequitatem in causa seu in facto esse positam.²⁾ Quid inde mirum, multas esse aequitatis falsae seu apparentis species, puta nimis *cerebrinam, simulatam, superstitionem, enthusiasticam?* Quare si quis inter vos, **COMMITITONES**, ita erecti & elegantis est ingenii, vt de decisione causarum ex aequitatis praeceptis prudenter iudicare posse cupiat, ei auctor sum, vt ante, quam aequitatis dictamina ad usum conserat, utilitatem publicam, quae semper potior est, aequo ac priuatam, nec non honestatem & rerumpublicarum finem, curiose ac diligenter cognoscat, neque eam ex spuriis proprii cerebri visionibus, neque ex vaga & lubrica sui ipsius conscientia, neque fucata pietate; sed potius ex genuinis prudentiae ciuilis fontibus iam supra a nobis laudatis,

¹⁾ CHRISTIANI THOMASTI diff. **VLR.** ab HARDENBERG siue KRESSII diff. de aequitate cerebrina. **AVG.** diff. de aequitate §. 13. pap. II. 12.
²⁾ L. 52. D. de O. & A. §. 8.

landatis, religiose reperire conetur. Jam haec sine dubio secum reputauit illustris GRIEBNERVS ⁿ⁾ inquiens scilicet: *Qui aequitati iudicantium causas permitti citra legum etiam normam posse sibi persuadent, meminisse debebant in tanta hominum dissentendi libidine & animorum inconstantia ac mutabilitate vix contingere posse, ut omnibus eadem aqua, & iniqua videantur.* Similiter aequitatem non sua laude nec vtilitate plane destitutam censem celeberrimus Lipsium antecelsor CAROLVS FERDINANDVS HOMMEL in *apologia pro summo iure contra aequitatis defensores.* ^{o)} Potius demonstrauit eos, qui vagam & incertam aequitatem constantiae juris clari & indubitate anteponunt, dum inseruire student singulorum vtilitatem, publicam, & ipsam adeo pietatem laedere. Hinc non excusandus videtur raptus Sabinarum autoritate illius gentis Romanae Satoris perpetratus, quanquam calliditatis laudem, si qua illa est, in hac re adornanda ROMVLO minime negamus, qui vt facinus illud strenue auderet fortissimus quisque, praemium magis populo rudi acceptum polliceri sane non potuit, itemque hoc vel vnico flagitio populum saepe in aestuante affluuum tumultu nutantem obligauit, vt exinde imminens bellum eo melius toleretur. Qua de re egregie, vt opinor, cecinit PROPERTIVS ROMVLVM iniustitiae atque iniquitatis reum accusans:

— — Tu criminis auctor

Nutritu duro ROMVLE laete Iupae,

Tu rapere intactas docuisti impune Sabinas,

Per te nunc ROMAE quidlibet audet amor. ^{p)}

B 2

Egre-

ⁿ⁾ In diff. de iure incerto ex dubia legum, quibus utimur, autoritate oriundo habita Viteb, 1715. §. 2. 7A. CHAR. HARTMANN (resp. PRANGEN) diff. de aequitate iuridica. Kiliae 1730. §. 3. p. 9.

^{o)} prodit Lipsiae 1751.

^{p)} L. II. Eleg. 6. v. 19. add. OVID. Fastor. II. verl. 431. CHRIST. THOMASIVS de natvis iurisprudentiae ante Iustinianae pag. 130. FRAN-

Egregie igitur falluntur, qui cum FRIDERICO GLADOVIO & aliis, qui ad excusandum ROMVLTI facinus ad necessitatem & utilitatem spuriam sane provocant, summum iuris naturalis praeceptum esse, dicunt, vt ea agamus, quae ad nostram utilitatem promovendam pertineant. Vera enim rerum publicarum utilitas non in regnandi cupiditate, qua ROMVLVS flagrabat, sed in eo consistit, vt commoda & tranquillitas singulorum ciuium pro varia vniuerscuiusque conditione parentur: ^{q)} in eo porro, ut pudor & pietas coeant, ille honestati obsequium non neget, haec Deo reuerentiam non subripiat, & vt ex vtroque hoc nexus tum inter homines infamiae nota laborans coeretur inuercundia, tum erga SUPREMVM NVMEN temeritas, quae grauiorem adhuc exspectat vindictam. Quis igitur, qui non videat, qui non proficatur, ROMVLVM inconsulta temeritate in deducenda colonia, quae a NVMITORE pecunia, armis, frumento, mancipiis & iumentis onerariis instruebatur, feminas neglexisse, illumque deinde in correctione temeritatis suae, humanitatis, honestatis & societatis leges impudentissime violasse, neque parum absuisse, quin istis taedis vniuersa ciuitas Romulea conflagrasset. Ita omnia omnibus licebunt ad consequendam cerebrinam suam utilitatem. ^{r)} Talibus argumentis omnis securitas, omnis certa rerum commodorumque possessio ambigua foret atque incerta & hominum ingenia ad iniurias, fraudes, verbo ad ius evertendum trahentur. Sed in istius antiquitatis aemulationem non inuasit posterior aetas ope, consilio, fide, ac amore eorum, quos aetas superior iniustitia & temeritate & morum rusticitate debellauerat, indigens.

Iam

GISCIVDDAEI Spec. Iurispr. Hist. §. 6. IOAN. GEORG. SCHERZII diff. de rapto Sabinarum §. 14. Germanor. §. 3. AVGUSTINVS de ciuit. Dei L. II. c. 17.

^{q)} EUTROPIVS histor. Rom. libr. I. CONRIG de republica antiqua vet. ^{r)} GEBAVERI Romulus variis obseruationibus illustratus §. 6. 7. in eiusd. Exercit. Tom. I. pag. 21. 22.

*Iam noua Progenies coelo demittitur alto,
Alter ab integro rerum mibi nascitur ordo.*

Cooperunt nempe ROMANI sago togaque in paucis clarissimi vi-
ctoriae ferociam mansuetudine emendare, usurpationis odium, &
tristem infelicitatis opinionem legibus ac institutis, honestate, pie-
tate & utilitate, verbo aequitate insignibus extinguere, probe
intelligentes, humanitatis aequae ac religionis mysteriis humana
pectora obstringi & hac mutua necessitudine neque obsequium
sine improbitatis vitio relinquiri, neque seruitum sine perduellio-
nis nota recusari. ⁹⁾ Agnita ergo subinde est aequitas *legibus*,
Senatus consultis, *Constitutionibus principum*: eamque nominatim tuiti
sunt *PRAETORES*, aequitatis naturalis custodes, perinde ac
IURECONSULTI veteris iuris & aequitatis optimi censores, ¹⁰⁾ in
aestimandis his, quae in iuris gentium conventionibus ex honesto
& aequo par erat praestare. Qua de re in ornanda *GALLE*
AQVILII Iureconsulti perfecti memoria *CICERONI* nefas vi-
sum, pro concione aliam virtutem ei dare, quam quod aequi-
tatis quaestionem nunquam a iure ciuili seiunxerit. ¹¹⁾ Quidni
merito lactamur & amplissimo Iureconsultorum honori tribui-
mus, egregiam verae aequitatis dignitatem quoconque aeuo im-
peraturam per Iureconsultos felici fato non sine summo studio
tum legibus dandis vel reformati, tum illarum obscuritatem
interpretatione tollendo, tum denique caussis, legum oraculis
obmutescientibus, ex prudenti boni viri arbitrio decidendis ex-
ultam, nec sine ingenti gloria esse propagatam?

Possent omnino reipublicae, me quidem iudice, sine consultis patrum, legibus, & aere fixis iuribus prudenter administrari, modo iudices omnes, CICERONE suadente v), quan-

B 3

³⁾ Briefe des Grafen von Chesterfield &c. L. II. cap. II. §. 9. p. 211, 212, seq.

²) RYCHEJI diss. sub praefidio
Cortii habita, vindiciae praetorius ac
iuris honorarii, IOAN. AVGVST. BA-

tum possunt, sequerentur naturam, id est, in exequendis officiis erga alios ex norma legum naturalium agerent citra respectum ad alterius ius perfectum, & ex bona fide sive ex aequo & bono praestarent, quae par sunt, & prouincias suas ita caras haberent, ut suam quisque domum, dulcesque penates. Nunc autem, cum iudicium animos semper torqueat ac dilaniet inuidia proprii commodi, propriae vtilitatis cura; cum illos foueat quandoque extollatque recens repertarum vtilitatum felix superbia: principes & rerum publicarum autores iudicium vagum atque incertum arbitrium legibus ex intimis aequitatis seu vtilitatis atque honestatis penetrabilibus deducunt moderare & gloriae perpetuae patrimonium sibi quaerere contenderunt. Proinde ubi Deo ita visum, ut gubernacula reipublicae quis capiat, non nisi ex reipublicae formula, populi moribus, temporum ratione, honestatis, decori, verbo ex praecepsis non fucatae vtilitatis, sive pietatis & humanitatis distinctione, via mentis contentiose ediscat dominus cuiusque & ordinum singulorum iura, quomodo sint copulanda, quid iis boni sit, quid aegrotet, quae bonorum praefidia, actionum remedia integratati & vtilitati publicae inferuant. ^{x)} Habeant sane principes & magistratus pulcherrimam legislationis ex aequitate disciplinam artis ut maximae ita etiam difficultimae in exemplis Römanae antiquitatis. Priori enim Romuleae aetati, quae in barbariem deflexerat, in quo ea Quiritium sapientia, quam admiramus, sub duro cortice latuit, maiorem vim pallido aspectu explicans, successu olim non hispida quidem ac ferox, sed mitis ac decora pietatis, honestatis sive aequitatis adminiculis ornata. Scilicet illi, quibus reipublicae cura erat commissa, non solum, quod merito in viris prudentia & sapientia claris praecipuum habetur, animi magnitudine

^{x)} DE HARDENBERG s. KRESS diss. de aequitate iuridica C. III. tot. pag. 51. sq.

tudine popularium indigentiam & necessitates leuabant; sed eadem triumphali aequitatis norma, qua non ad captivitatem cōgebant, sed ad humanitatem molliebant devictos populos, totius fere terrarum orbis imperium sunt assediti. Haec prima professio de legibus vrbem recenter conditam regendi, non quidem in verbis, sed in pectore & factis fuit **NUMAE POMPILII** viri, **LIVIO**, ²⁾ **PLVTARCHO** & **DYONISIO** ²⁾ testibus, omnis di-
vini atque humani iuris, vt in illa aetate quisquam esse poterat,
consultissimi, iustitiae & religione incliti: primam eamque
summam legem sibi constituerat, gentem feroci bello assuetam
ad pacis artes traducere; alteram, vt omnia consilia, instituta
& decreta ab illa reipublicae restitutione, id est a pietate, felici-
tate vniuersorum & honestate seu ab aequitate ducerentur.
Et cum probe intelligeret, talem fere ciuitatem esse, quales sunt
leges, quibus aequitas est descripta, siue omnem securitatem &
aequitatem potissimum legibus niti, ad leges & iura animum
convertisse. Ita initium aequissimae legislationis factum a rei-
publicae summa, **RELIGIONE** scilicet, quam casto & diligenter ab
omnibus coli uolebat, cuius mysteriis & secretis artibus **AEGYP-**
TIORVM, **PERSARVM**, **MEDORVM** more, gentem suam optime
moderari sensit. Quod ad ciuilia eius instituta autem attinet,
aequitatis laude ductus reverentiam erga maiorum instituta pu-
blica ostendens, totam veterem reipublicae formulam & ordi-
num iura intacta declarabat, & ideo omni nouandi metu sublato,
orationis benignitate pariter ac morum factorumque probitate
& integritate omnes in firmorem imperii securitatem adigebat
& retinebat, memor dicti **TACITI** illius: plus interdum valere
bonos mores, quam alias bonas leges, & principis curam inter
leges & mores follicite esse dispergiendam. ^{aa)} Eo omnem ma-
gistratus

²⁾ L. I. c. 18. OVIDII Metamorph.
L. XV. v. I. & 479.

²⁾ L. II. c. 62.
^{aa)} GEBÄVERI NUMA [POMPI]

gistratus sui curam adhibebat, vt pacis artes, agriculturam nominatim & rem pecuariam genti suae commendaret & vt legibus ad populi genium accommodatis iura patriae potestatis, conubiorum, & imperii herilis adornaret. Huius principis vere sapientis, id est iustitiae & aequitatis amantis vestigia omnes fere legum Romanarum autores, principes pariter ac Iureconsulti, crudeli ac scelerata TARQVINII tyrannide sublata, ac libidinoso Decemviro um imperio exploso, presserunt in firmanda vel agenda imperii salute & gloria, in utilitatis ratione scilicet ducentes, religionem, libertatem, vim legum, fidem publicam & litteras, quae maxime ad decus ex pietate, sapientia & honestate valent comparandum. Ergo CLAVDII TRIPHONII ICTI PAPINIANO aequalis sententia erat; bonam fidem, quae in contractibus exigitur, aequitatem summan desiderare. ^{bb)} Et CICERO in aureo ad TREBATIVM TESTAM Topicorum libello ^{cc)} persecuturus ea, quae ICTI in consilium & rempublican adhibiti ex bona fide exposuerint, inquit: *Illi dolum malum, illi fidem bonam, illi aequum bonum, illi quid socium socio, quid eum, qui negotia aliena curasset, ei, cuius ea negotia fuissent, quid eum, qui mandasset, cumque, cui mandatum esset, alterum alteri praefbare oporteret tradiderunt.* Inde illi iustitiae Antislites cum stoicis, et quorum intuis philosophiae penetralibus saluberrima aequitatis & virtutis praecepta in ICTorum pectora excurrebant, sola bona reputabant, quae honesta. Inde aliter quam per virtutem, probitatem & aequitatem, quas subinde in responsis commendabant, nec veram ciuium utilitatem, nec veram patriae gloriam defendi ac teneri credebat. Operae pretium fane est audire, quae

LIVS variis obser. vot. illustratus in ejusd. exercitationib. Tom. p. 27. sq.

^{bb)} L. 31 D. deposit. GUILIELMI MARANI tract. ad h. Leg. qui est inter ipsius tractatus iur. ciuil.

Tom. II. oper. pag. 122. GEORG LVD. BOEHMERI electa iur. civil. Exercit.

X. p. 276. sq.

^{cc)} CICERO de officiis Lib. III. cap. VII. SENECA epistol. 74.

quae PAPINIANI professio erat de Iureconsultorum viuendi & agendi ratione ^{dd)}: quae facta laedunt, inquit ille, pietatem, existimationem, verecundiam nostram, & vt, generaliter dixerim, contra bonus mores sunt, nec facere nos posse credendum est. Immo, quidquid erat huius professionis, id totum fuisse ab intimo peccoris sensu ductum factis comprobauerunt. Erant enim alienissimi a more nostra aetate a viris potentibus usurpato, vt loquerentur magnas sententias, minutos autem sensus premerent & mox sordide factis proderent. Hinc illa prope seges consiliorum & decisionum ex regulis honesti, aequi & boni nata est, quae prouida THEODOSII & IVSTINIANI cura ad maturitatem optatam peruenit. ^{ee)} O Salubres iustitiae sacerdotes optimis exemplis! quae etiam tum adhuc, cum de republica Romanorum dicendum esset:

vitaque cum gemitu fugit indignata sub umbras,
 pudorem severitatis iis adeo incutiebant, ad quos rerum summa erat translatata, cum libertatem, vt longe iam ante prospexerat POLYBIUS, amplius ferre non possent corrupti mores. Scilicet inde optarunt Imperatores, vt & illorum constitutiones ratione humanitatis & aquitatis seu vtilitate publica essent commendabiles, prudentes viros saepe ob id ipsum consulentes. Vnum audisse non piguerit IVSTINIANVM: Nec enim erubescimus si quid a nobis melius, quam primo dixerimus, inuenientum fuerit, id ipsum sancire novoque emendare, priora cogitata e nostra pena in melium reformatre, nec expectare, DVM AB ALIIS ADMONEREMVR. Itemque de ALEXANDRO SEVERO accepimus, quod nullam constitutionem sanciuerit sine confilio viginti iurisperitorum. ^{ff)} Con-

C

sepulta

^{dd)} L. 15 D. de Codit. inst.^{ee)} Besti oratio de aequitate legum Romanarum. L. I. § 3 D. de pericul. & commod. rei vend. L. 14. §. I. L. 42. D. de R. N. L. 197. D. de R. Iur. ECKHARDI hermeneut. iur. c. 10.

§. 135. p. 103. sq. CRELII observationes de sermone maritali cum uxore testamenti faciendi caussa ad L. 3. D. si quis aliqui testar. prohibuer.
^{ff)} KRESS f. ab HARDENBERG de aequitate iuridica C. III. §. IV. p. 53.

Sepulta tandem Romanorum potentia & illi tamen populi morum rusticitate potius, quam humanitatis officiis clari, qui barbaris quidem sed vicitribus copiis atque armis Quiritium imperium devastabant, Romanam iurisprudentiam humanitate & aequitate insignem hereditatis quasi iure accipientes prudenti sane & aequo consilio non solum subactis prouinciis iura innata reliquerunt, sed etiam nouarum rerum excogitationes benignitatis & aequitatis beneficis commendabiles reddiderunt. Legitimos orationis fines sane longe excurseret omnium rerum recensio, quibus a LONGOBARDORVM aliarumque gentium ducibus feuda, quasi oportuna captandae benevolentiae & mutui auxili parandi instrumenta, aequitatis & utilitatis publicae praefidia atque adiumenta sunt comparata. gg) Nec minorem principum utilitatis publicae & aequitatis curam in ferendis legibus ad subleuanda ciuium vnde cunque laborantium mala & ad ornandam patriam, interioremque prudentiam explicavit THEMIS GERMANICA. Non dicam, quanta sit in GERMANORVM legibus ac institutis in conseruando ciuium & gentium nobilitate conspicuarum patrimonio mira ac plane singularis cura; quanta in contractibus ineundis castitas ac religio; quanta in determinandis humanitatis officiis benignitas; quanta in exercendis iudiciis grauitas; quanta in criminum exstirpatione seueritas; quanta diversorum in republica ordinum conspiratio, eo magis publicis commodis proficia, quo magis partes alias dissimiles amice ac perfecte componit. Hoc vel unicum tantum monebo, certe iuris Saxonici & Cimbrici autores, ut in multis capitibus, ita nominatim in doctrina de testium fide & habilitate ex summae aequitatis praeceptis arbitrio iudicantium non adeo fauentes fuisse, quam peregrini iuris statores; potius regulas accuratas

gg) JOSEPHI AVRELII DE JANVARIO antecefforis Neapolitani oratio de iure feudali.

tas ex praesumtione quidem formasse, ad quos testium habilitas est examinanda. Id quod optime evicit celeberrimus DREYE-RVS magni nominis ICtus in dissertatione de cespitalitatis requisito in testibus habilibus. ^{bb)} Ad illam curam veram utilitatem ex legum aequitate percipiendi magnificos sensus formarunt nostra quoque aetate VIRI FOEMINAEQVE PRINCIPES diuino quodam instinctu acti, Astraeamque virginem terram supuentem e coelo reduxerunt; quorum tamen laudes celebrare verecundia nostra ac instituti ratio probibent.

At quoties ad populi cuiusdam ortus progressusque animum adiecerim & vnde imperium, dignitatem ac virtutis gloriam acceperit, cogitaverim, semper sum arbitratus, multum quidem fortunae, multum iuris legumque, vt antea dixi, aequitati, plus autem legum religioni sive sanctitati atque seueritati erga transgressores esse tribuendum. ⁱⁱ⁾ Nam indignos per gratiam reipublicae admouere & saevam ac intempestiuam in coercendo adhibere indulgentiam; quid aliud est, quam in alieno pascerre, & iniuriam publicam in patriam & ciuium salutem comittere? Sapienter, si quid indicare possim, inquit CICERO in oratione pro Caecinna; *quod est ius civile? quod neque inflecli gratia, neque perspringi potentia, neque adulterari pecunia possit. Quod si non modo oppressum, sed etiam desertum aut negligenter obseruatum erit, nihil est, quod quisquam habere sibi certum, aut a patre accepturum, aut relietur liberis arbitretur.* ⁱⁱ⁾ Proinde cum leges custodibus aequae opus habent ac defensoribus, semper ubi legis sententia clara & in-

C 2 dubi-

^{bb)} IO. CAR. HENR. DREYERI diss. iuris Germanici priuati de cespitalitatis requisito in testibus habilibus, von Zengen, die mit unbeweglichen Gütern angeleisten seyn müssen ic. Kil. 1749.

ⁱⁱ⁾ Optime veritatem huius sententiae euincit historia BENICII VII, Re-

gis angliae, de qua egit LITTLETON in seiner Geschichte von England in einer Folge von Briefen an seinen Sohn. Th. I. Br. VI. S. 283. u. sc.

ⁱⁱ⁾ IOH. LVD. ERNESTI PVTTERMANNI progr. de arbitrio iudicis e foro iudicisque elimando. Lisp. 1771.

dubitata adsit, non confugiendum est ad interpretationem ex aequitate cerebrina petitam.^{mm)} Nam ista, quam supra laudamus, aequitas, quae honestate & vtilitate nititur, legi certae inservire, nec vlo modo ab eius sententia debet deflectere.ⁿⁿ⁾ Recte monet PAVLVS ICTus,^{oo)} minime sunt mutanda, quae interpretationem certam semper habuerunt. Itemque CALLISTRATVS, iu cognoscendo, inquit, neque excandescere aduersus eos, quos malos putat iudez, neque precibus calamitosorum illacrimari oportet. Id enim non est consilans & recti iudicis, cuius animi motum vultus detegit. Et summatim ita ius reddere debet, vt auctoritatem dignitatis ingenio suo augeat.^{pp)} Quare SOLON interrogatus olim, quam deum rem publicam optime constitutam censeret? eam, sapienter inquietabat, in qua cives Magistratui, magistratus autem legibus constanter obtemperant.^{qq)} Nam quoties lex, quamquam dura & ratione destituta videatur, clare intelligi possit, nobis sola obsequii gloria relicta, nec permisum est iuris placita vel Themidem ipsam obtorto quasi collo ad incertum saepe rationis tribunal rapere aut leges callida interpretatione eludere. Serui legum sumus, ait CICERO PRO CLVENTIO^{rr)} vt liberi esse possumus. Quae cum ita fese habeant, neque vanae opinionis leuitatem, aut stultam iuris scripti admirationem, plus quam veram vtilitatem & aequitatem publicam valuisse putamus apud CYRI pueri adhuc paedagogum, qui, vt XENOPHON tradidit, illud optimum corculum propte-

^{mm)} AVGVSTINI DE BALTHASAR
oratio de aequitate iudicis cerebrina
iustitiae peste. Grifiswaldi 1753.
MEVIVS ad Ius Lubec, P. II. T. 2. a.
12. 155 sq.

ⁿⁿ⁾ O. C. I. P. I. T. 13. §. I.

^{oo)} L. 23. D. de Legib.

^{pp)} GOTTFRIED MASCOVII epistles
de ingenio iudicis. Caeterum
fuerunt, vt hoc obiter moneam, qui
meliorem huius legis expositionem

tentauerint, vii obseruat CORNEL.
V. BINKERHOECK obs. iur. civ. c. 27.
ADR. WIELINGIVS in lest. Iur Ciuil.
Libr. II. c. 32.

^{qq)} CHRIST. GOTTH. AVERBACH
f. CHRIST. HENR. BREVNING spe-
cimen continens caput iuris contro-
versum de pugna inter aequitatem
cum iustitia. Lipsiae 1766.

^{rr)} Cap. 53.

propterea, quod in iudicando pueros iurisdictioni puerili suae, ut iustitiae maturior assuesceret, commissos, aequitatis apparetis imagine ductus a clara lege decesserit, ferula castigauit seuere simul admoniens, pronuntianda, non quae iudici aequa videantur, sed quae legibus sunt consentanea. Scilicet contigerat, vt unus puerorum, qui CYRI illius foro subessent, proceris qnidem habitus, cui tunica admodum erat breuis, minori, qui longo vteretur vestimento, hoc sibi magis aptum subtraxisset, suamque tunicam breviorem clam in prioris vestimenti locum deposuisset. Qua fraude detecta & ad CYRVM delata, ille, contra claram legem, vt nemini suum inuito auferretur, pronunciaverit, VT QVISQUE VESTEM SVO CORPORI APTAM RETINERET. Similiter cerebria seu enthuſiaſtica fane eorum est aequitas, qui superstitione iuridica ducti DIVINO adeo NUMINI gratificari putantes priuilegia admodum grauia piis cauſis concessa liberali interpretatione ita extendunt, vt ius priuatis hominibus acquisitum quam maxime inde laedatur.¹⁹⁾ Atamen quanta arti, quam profitemur, laus est ab obsequio, siue ab exacta legis certae & iuris indubitate executione, tanta ei etiam venit ab aequitate in interpretatione eorum, quae in iure nostro pugnant, incerta sunt atque ambigua, quae ingenii hominum ad iuriarias, ad fraudes, ad seueritatem nimiam & duritiem, verbo ad humanitatem ac vtilitatem tum totius ciuitatis, tum singulorum ciuium euertendam saepissime trahuntur. Non multus atque verbosus ero in facienda fide rei certae & liquidae. Quis quoefo, ignorat, jurisprudentiam contineri partim rerum & vtilitatum discrimine, partim verborum legalium interpretatione? Nonne, si obscura sit loquentis siue legislato-

C 3

ris

¹⁹⁾ TIRAQVELLVS de priuilegiis BERG deo, quod in piis cauſis impiarum cauſarum. OTTO RECHEN- pium est.

ris mens, quid senserit ex dictis expiscari cogimur.^{xx)} In his & similibus caussis non rigorem iuris vbius sectari, se iustitiae potius, aequitatisque quam stricti iuris habere rationem decet, vti rescripsere CONSTANTINVS & LICINIUS Imperatores.^{uu)} Id, quod CELSVS Ictus ita exprimit: *semper in fide, id est, in promissis prior & potentior est, quam vox, mens dicentis.* Quodsi ergo respublica siue, quod idem est, salus ciuium vna est in rebus humanis magna, vna digna, ad quam omnia nostra, omnes actiones, omnesque meditationes referantur; quodsi verum est, quod negari nequit, sapientissimorum populorum instituta atque leges maximam habuisse commendationem ab honestate & pietate, verbo ab aequitate siue vtilitate; quodsi humanitas non solum ab ipsis legum auctoribus magis, quam nimia seueritas commendatur,^{vv)} sed etiam agnita est & comprobata exemplo & factis tum antiquitatis, tum legibus, senatus consultis, principum constitutionibus, praetorum edictis, iureconsultorum responsis; quodsi nempe is vir bonus est, iudice CICERO^{xx),} qui quantum potest, sequitur naturam, optimam recte viuendi rationem, siue qui ea praefstat, quae ex aequo & bono praestare fas est: quidni & nos legum non tantum custodes, sed etiam interpretes praetorum exemplo ius reddere possumus iis, qui ius suum persequuntur, ex legibus, deinde ex moribus, & in iis rebus, vbi vel incerta vel ambigua constituta sint, vel neque legibus neque moribus aliquid cautum receptumue sit, spretis verborum aucupiis ex analogia & ex iure omnium gentium

^{xx)} GERARDI NOODT oratio de ciuili prudentia.

^{uu)} L. 8. C. de Iudic. 10 ANN. 2A. CHAR. HARTMANNI programma ad dissert. de AEQVITATE IVRIDICA. L. 7. in f. D. de supell. legat.

^{vv)} L. 14 §. 7. D. de religios: & sumptib. funer. L. 5. C. de bonis, que

liberis &c. Nouell. 163, praef. c. 13. x. de offic. & potest. iudic. deleg. c. 5. x. de caus. possess. & propriet. c. 11. x. de probationib. Holl. Landger O. P. II. Tit 3. §. 3. THOMASIVS in den Noten zu Melchior Osse Testament P. II. c. 8. p. 406.

^{xx)} de offic. III. 17.

tium communi & naturali adeo aequitate siue ex LEGIBVS AE-
QVI & BONI? ^{xx)}

Certe quidem ad unum omnes, qui ea animi contentione contra aequitatem agunt, ac si eam totam e foro iudicisque trudere vellent, magis revera perversum aequitatis apparentis usum, quam illam, quae utilitate & honestate nititur, accusantes, veraeque aequitatis fines regentes, eo conspirant: primum, talem esse ciuitatem, quales sunt leges, quibus aequitas descripta est; deinde, in omnibus istis capitibus quae in legibus ambigua incerta sunt & arbitrio iudicantium relicta, decisiones ex communi iustitiae fonte scilicet ex aequi & boni legibus esse petendas. ^{xx)} Ae primum inde; quis dubitet, in facti cognitione, si res sit dubia, mitius esse iudicandum? ^{aaa)} Nam recte obseruat ^{PA-}
^{PINIANVS} ^{bbb)}, facti quidem cognitionem esse in potestate iudicantium, iuris autem auctoritatem non esse. Deinde cum

Nulla unquam de hominis morte cunctatio longa est;

IVVENAL. Sat. VI. v. 221.

maximopere laudandos censeo, qui in rebus criminalibus dubiis omnium ciuium in genere quidem, aequitatis potius, quam iuris stricti habent rationem. Appage immanitatis & nimiae duritiei doctrinam, qua imperii reuerentia profanatur, qua humanae coniunctionis vinculum soluitur. Recte ideo & laudabili exemplo ARCADIVS & HONORIVS Imperatores A. A. EUTYCHIANO rescripsierunt ^{ccc)} ut Iudeorum causas in iudiciis Romanis agitatas ex legibus iuris communis sint dirimendae, respu-

^{xx)} IOANN. AVGUST BACHII pro-
lilio de edicto prouinciali perpetuo.
IOANNIS LUDOV. CONRADI oratio
de iuris & aequitatis inter se consen-
su, in eiusdem opuscul. e iure ciuili
Tom. I. p. 358. sq.

^{zz)} HOMMEL pro iure summo con-

tra aequitatis defensores cap. VIII. p.
29—31.

^{aaa)} exemplum est in CICERONIS
orator, I. 38. in fine.

^{bbb)} L. 15. D. ad mancip. in fin. d.

L. 69. D. de Legib. 3.

^{ccc)} L. 8. C. de Iudeis.

respuentes scilicet immatrem eorum sententiam, qui in rebus Iudeorum non criminalibus tantum sed civilibus adeo dijudicandis omnia vago iudicantium arbitrio relinquare vellent, vel, ut quidam nouiori aetate somniarunt, aequitatis legibus, & ideo beneficiis iuris caeteris reipublicae ciuibus concessis, nimirum purgationi morae senatus consulto Velleiano & reliquis huius generis nuncium esse mittendum non dubitarint. *ddd)* Similiter a verborum significatione recedi oportet, cum manifestum sit, aliud sensisse legis autorem, & annuit certe doctrinae nostrae MARCELVS Iureconsultus: *Etsi, inquiens, nihil facile mutandum est ex solemnibus: tamen ubi aequitas evidens poscit, subuenientum est.* *eee)* Nec minns in istis iudiciis, in quibus adderetur ex bona fide, ut SCAEVOLA pontifex dicere solebat, in tutelis, societatibus, mandatis, fidei commissis, quorum & olim benignior, siue ex aequitate erat interpretatio *III)* nee multa in conuentionibus, in quibus, inter bonos bene agier oportet, quae aurea sunt CICERONIS verba *ggg)*, verissima est TRYPHONII sententia, bonam fidem, quoniam & ipsa bonum & aequum sequitur, summam desiderare aequitatem *bbb)*; atque ideo in talibus cauiss liberius & remissius iudicandum. Possem quoque declarare, quanta in praestandis remunerationibus benignitas, quanta in praemiis & commodis concedendis religio & aequitas sint adhibendae; ad hibitis tamen remedii conseruandi in omnem luentum iura stricta & dura *iii)*, nisi longius excurreret sermo

ddd) IOAN. IOD. BECK Tractatus de iuribus iudeor. vom Recht der Ju- den cap. IV. T. I. II. pag. 35. sqq. CHRIST. HARTM. SAMVEL. GATZERT Tract. Iur. Germ. de iuribus iudeorum eorumque obligationibus praecipue parochialibus. Giss. 1771. *eee)* L. 183, D. de R. I.

fff) L. 16. C. de Fideicom.

ggg) CICERO de amicit. c. 5.

bbb) L. 31. D. depos.

iii) IVST. HENN. BOEHMERI diff. de iure futuro. ERIED. GOTTL. STRUVII s. PETRI. CHRIST. DE FINCK diff. de clausulis reseratio- num & protestationum in conuento- nibus priuatorum proficius. Kil. 1742.

sermo & legitimos orationis fines excederet, si cuncta, quae ad acquitatis dignitatem ostendendam conferri possent, recenserem. Permissum quoque denique est non solum iudici, sed legibus etiam quibusdam iniunctum ^{III)}, more apud Romanos recepto ^{mmm)} inter Partes litigantes, antequam iis potestas iuris experiundi permittatur, pacem siue amicabilem compositionem ex aequi, boni & honesti legibus tentare. Neque negari potest ad praecipua minuendarum in republica litium remedia pertinere tentamen concordiae inter litigantes, modo recte & serio non tralatitie a iudice instituatur. ⁿⁿⁿ⁾ Nam legislatori, ut ANTONIUS de GVEVARA egregie obseruat, circa amicitiam & concordiam magis, quam circa iustitiam studendum est. ^{ooo)}

* * * * *

Operae pretium esse duxi, AUDITORES, exponere, quae prima mea in hoc magistratus Academici ingressu professio est de regiminis cuiuscunque & Academici etiam formula, quas mihi ipsi leges rempublicam nostram gerendi in hac celebritate fancio. Primam ideo ac summam legem mihi constitui leges nostras, quibus arcto iurisiurandi vinculo maxime inconstitiae ac perfidiae freno Religionis sacro quodam horrore sum adstrictus, sanctissime colere & a ciubus etiam obseruari me-

D

mor

^{III)} Constitution, wie die Processe in Pommern nach Sr. Majestät in Preussen vorgeschriebenen Verordnung in einem Jahr in allen Iustizien zu Ende gebracht werden sollen, quae prodit Berolini 1746. Clavroth's Entwurf eines Gesetzbuchs Th. I. Hauptf. 24. S. 210. f.
^{mmm)} HEINECII antiquit. Röm. Libr. IV. Tit. VI. §. 13. CICERO pro Quintio cap. XI, PETITIVS in com.

mentario ad LL. Atticas Tom. III. iurispr. Rom. & Attic. L. IV. Tit. IV. pag. 428. sq.

ⁿⁿⁿ⁾ CHRISTOPH. ANDR. MEYCKE dissert. sub praef. celeberr. DREYERI habita de tentamine concordiae inter litigantes optimo minuendarum litium remedio. Kil. 1748.

^{ooo)} ANTON. DE GVEVARA in Horol. princ. II. 38.

mor Populo Romano diu hanc fuisse reverentiam civilis sapientiae, vt voluerit eam asseruari inter Deorum sacra & ceremonias, quia legibus detrahere auctoritatem, est vincula communis vitae laxare, soluere, abrumpere: alteram vt omnia, quae mea erunt, consilia, instituta, decreta in maximis, minimis rebus ab AEQVO & BONO hoc est a pietate, honestate & utilitate tum publica, tum priuata, vt a capite suo ducantur, vt nihil dissensionis inter linguam & mentem sit, vt quae sentiam, loquar, vt quae locutus sim, agam, ne multa, vt iis vniuersis cum isto principio perpetuus sine simulatione constet consensus.

At facite & vos COMMILITONES aestimatissimi, vt **VOBIS** in mentem redeant, quae diximus supra, de virtutis, pietatis nimirum, honestatis & aequitatis laudibus. Cum enim rerum magnitudo & difficultas semper arcto vinculo copulatae incedant, vera ex legibus aequi & boni imperandi & administrandi rempublicam doctrina nullo modo inter otii oblectamenta paratur, sed discedi assiduitate & antiquitatis strenua meditatione. Quare agite, sicuti ars bella gerendi non demum in acie est descendenda, sic in togata militia nostra ars aequi & boni meditacione, diligentia, atque ipsis denique moribus comparanda & in aciem reipublicae olim est decucenda. Certe nulla alia re, si quid videam, & ipsa VESTRA, CIVES CARISSIMI, commoda a nobis poterunt defendi, nec vera VESTRA gloria teneri, quam si & vos memores omnino aurei dicti illius PAPINIANI lureconsulti, quae facta laedunt pietatem, existimationem, verecundiam nostram (vt generatim dixerim) quae contra bonos mores sunt, nec facere nos posse credendum est; totam vitae vestrae rationem insituatis secundum LEGES HONESTI, AEQUI ET BONI.

Kiel, Diss.; 1777-1800



5b.



S. 6 num. 22.

1778, 3

17

IOANNIS DIETERICI MELLMANN D.

IVRIVM ANTECESSORIS ET ACADEMIAE KILONIENSIS

H. T.

PRORECTORIS
ADITIALIS ORATIO

DE

DECISIONE CAVSARVM
EX LEGIBVS AEQVI
ATQVE BONI

A. D. IV. APRILIS C¹⁹ CC LXXVIII

IN
TEMPLO ACADEMICO
RECITATA.

KILONII ET HAMBVRGI APVD BOHNIVM.

LITTERIS MICH. FRIDER. BARTSCHII
ACAD. TYPOGR.

